felis halitum inſpiraſſet, irritata ſtatim ea temperamenti quali-
A tate felium inimica, prorumpente ſudore, pallida admodùm facie, omnibus admirantibus, conclamare cœpit tremebundus: Hic aliquo in angulo latet felis, nec niſi fele foras elato ſibi reſtitui potuit. *A. Pareus lib.20. Operum, de Venenis.*

Hominum.

Perſas ne γράσον quidem ſuum laturos (cùm ad Granicum contra Darium Alexander Magnus pugnaturus eſſet) Macedonas per jocum ſingulari confidentia affirmaſſe, ſcriptores Græci tradunt. Eſt autem γράσος, hircinus ille odor, qui maximè ſub alis latet. Etſi hoc non magis ad Corporis, quàm Animi mollitiem referri debet.

Roſarum.

Franciscus Venerius Venetorum dux, feſto die ſacra auditurus, ſacellani opera recentes roſas illatas properè auferri juſſit, ne, quod ſibi privato ſæpè acciderat, in animi defe-ctum incideret Ὑπόμνημα Franciſci Sacerdotis.

AERIS CALIDI, FRIGIDIVE

Tolerantia.

B ☞ *Vide Locum de Aere.*

IGNEM.

Tolerare.

Spartiatæ olim pueros ſuos aris ardentibus admovere ſolebant. *Plutarchus.*

ALIMENTA FERRE

Calida.

Philoxenus Leucadius fuit homo guloſus (unde ſunt Philoxeniæ placentæ, adeò quidem, ut palàm in balneis manum conſuefaceret in aquam calidam immittendo, & os aqua calida eluendo, ne calidis facilè moveretur, & coquos aſſuefaciebat, ut cibos calidiſſimos apponerent. Conſimilia etiam narrant de Archyta, & Crobylus ait: Ego ad calida hæc Dactylos Idæos habeo, id eſt, digiti mei minimè læduntur à calidis. Pharynga jucundiſſimè incendam fruſtis piſcium. *Suidas.*

Proæresius ſophiſta tam firmo erat ſtomacho, ut calidæ potionem numquam ſit expertus, & in Galliis (quò Cæſarem Conſtantem ſecutus fuerat) Rhenum tantùm non glaciatum haberet. *Eunapius in ejus vita.*

Multa.

C ☞ *Conſule Titul. Voracitatis, & Ebrietatis, quatenùs alimenta copioſè aſſumpta circa noxam ferre poſſunt.*

Pandareus à Cerere beneficium habuit, ut cibis ingeſtis non gravaretur. *Bæus in Ornithogonia.*

Tiberius Imper. biduum, & duas noctes potu continuaſſe fertur, & Trajanus capacioribus ſcyphis, ſed citrà ebrietatem bibiſſe. *Suetonius.*

VERBERA, PLAGAS.

☞ *Vide Titul. Luctatorum. Pancratiaſtarum, quatenùs corporis robore, in perferendis aliorum ictibus, præditos eſſe oportet.*

Spartiatæ pueros ſuos vulneribus, & virgis cædebant, quò à primis ſtatim annis diſcerent fortes eſſe in rebus adverſis. *Plut. in Lycurgo.*

Firmum inter minutos Romanorum tyrannos connumeratum, tanta ferunt præditum firmitate, ut ſuperpoſitam pectori incudem aliis tundentibus, perferret. *Cælius lib.1. c.13. Antiq. Lect.*

PARTUS DOLOREM

D

Ferre.

Virgo quædam Spartana, ☞ Vide ſuprà *Partus dolores. In Titulo, Tolerantia dolorum corporis.*

In Illyrico prægnantem ſæpè, cùm venit patiendi tempus non longè ab opere diſcedere, ibique enixam puerum referri quem non peperiſſe, ſed inveniſſe putes, teſtatur *Varro lib.2. cap.10. de re ruſtica.*

Apud Tibarenos Aſiæ populos mulier partu ſoluta, virum in lectulo componit, eumque tanquam pueri auctorem curat. *Val. Flaccus lib.5. Argon.*

—— ibi de fide mira
Fœtu ligat, partuque virum fovet ipſa ſoluto.

Idem de Thracibus, Scythis, Cantabris, & Celtiberis legimus, apud quos puerperæ adeò dolore partus non moventur, ut viris loco illarum decumbentibus miniſtrent, & famulentur. *Alex. lib.2. cap.25.*

Non Ferre.

☞ *Vide Titulum. Ex partu mortuæ.* E

TORMENTA

Ferre.

☞ *Vide Locum, Tolerantia tormentorum. Illic Animi habitus, hìc corporis vigor in perpetiendo ſpectatur.*

Inquiſitor Cumanus in Varniſerano agro finium Mediolanenſium, unam & 40. Sagas anno M. CCCC. LXXXV. ad ignem damnant, quæ omnes ſine quæſtione fuerant confeſſæ abraſo pilo, & mutatis veſtibus. Quod olim Domitianus Imperator Apollonio Tyaneo mago feciſſe apud Philoſtratum Lemnium legitur, eum nudari planè, & abradi jubens. Nam inquiſitor Sprangerus ait, ſi Magus penes ſe ſilentii ſortem habuerit, eum ad tormenta nihil doloris experturum, nec veritatem confeſſurum unquam. *Bodinus.*

Non Ferre.

☞ *Ex Tit. Mollitiei in tormentis, huc quædam.*

STATIONEM

Ferre. F

Socrates, qui Ethicem induxit, perdius, ac pernox à primo Solis ortu ad ſolem alterum orientem immobilis ſtare ſolitus erat, iiſdem veſtigiis, atque eodem obtutu defixus, ut ad fortuitas vices patientia aſſueſceret. *Sabellicus lib.2. cap.10. ex Platonis Sympoſio.*

Massinissa rex Numidarum ſtans in veſtigiis totum diem manebat immotus. *Diod. Sic. lib.32.*

Non Ferre.

Severus Imp. cùm Parthos, Arabes, Adiabenos deviciſſet, triumphum, quòd conſiſtere in curru ob articularem morbum nequiret, filio conceſſit. *Cuſpinianus.*

Honorius IV. Pp. podagra laborans inſtrumentis quibuſdam ad id aptè fabrefactis ſacrificare cogebatur, quibus niteretur. *Platina.*

INCESSUM, AMBULATIONEM

Ferre.

M. Cato Uticenſis iter pedibus faciebat, amicis equo ſedentibus. *Plutarchus.*

Hadrianus Imperat. ut ex ipſius patientia ferendi laboris exemplum alii haberent, pedibus interdum viginti paſſuum
millia peragebat. *Spartianus.* G

Herodianus Scribit, Severum Imp. iter facere ſolitum ſine ulla intermiſſione, neque labores ullos curaſſe.

Non Ferre.

P. Scipio Africanus à Sen. Rom. ad contemplandos regum, atque populorum mores miſſus, Alexandriam veniens, honoris cauſa obvium habuit regem Ptolemæum, pedibus ægrè incedentem, propter inſuetudinem, & podagræ jugem afflictationem: adeòque ad Panætium, qui ejus lateri adhærebat, converſus, in aurem illi inſuſurravit, Ampliſſimum certè fructum adventus noſtri percepere Ægyptii, quòd regem ſuum viderunt inambulantem.

Vatinius podagræ morbum diſſimulare nitebatur, dicens: Se jam mille paſſus per diem ambulare. Dixerat hoc ille forſan poſt hyemale ſolſtitium. Hinc irridendi materiam Auguſtus arripuit. Et minus, inquit, miri eſt: longiuſculi dies incipiant. *Macrobius lib.2. cap.4. Saturn.*

Æneas Sylvius (qui poſt Pius II. Pp. fuit) in Scotia, votis ſolvendis, quæ inter fluctuum æſtus Virgini matri nuncupaverat, initium morbi contraxit articularis, qui permanſit ad vitæ exitum, glacie decem millibus paſſum nudis pedibus ad phanum uſque calcata, ut redire in oppidum non aliter
quam lectica potuerit. *Campanus in ejus vita.* H

CURSUM FERRE.

Galla ſubſtitutus Getulico, præſente Cajo Imper. campeſtrem decurſionem ſcuto moderatus, etiam ad eſſedum Imperatoris per viginti paſſuum millia cucurrit. *Suetonius.*

Non Ferre.

☞ *Sive hoc viſcerum ſpiritualium, ſive pedum vitio fiat, ut in Anheloſis, & Podagricis. Vide etiam titulo. Curſu mortui.*

EQUITATIONIS

Tolerantia.

Nunciis Perſarum regum nihil pernicioſius tranſcurrit in rebus humanis. Idque hunc in modum eſt à Perſis excogitatum. Quot ex diebus tota via conſtat, totidem equos, ac viros ferunt eſſe diſtinctos ad ſingulorum dierum iter faciendum, quos

quos neque vis nivium, neque imber, neque æſtus, neque nox
A diſtinet, quin propoſitum ſibi curſum celerrimè conficiant. Quorum curſorum primus mandata tradit ſecundo, ſecundus item tertio: & ita deinceps illa mandata in alium, atque alium pertranſeunt, quemadmodum apud Græcos fax, quam Vulcano per vices ferre curſores conſueverant. Hanc equorum curſitationem Perſæ Angarejon appellant. *Herod. lib.4.*

Alani Scythæ equites centum interdum millia uno curſu conficiunt: tam patientes ſunt laboris. *Raviſius.*

Scytharum tantam perpetuæ ſeſſionis in equis tolerantiam eſſe. *Hip. cum. de Aere, aquis, locis*, eſſe ſcribit, ut propter hanc ipſam cauſam partes generationi deſtinatæ veluti enerventur, adeòque ad venerem non modò tardi, verùm etiam inepti reddantur, ob aſſiduam quietem calore nativo veluti ſuffocato.

VECTIONIS

Tolerantia.

☞ *Ex loco eorum, qui per Aera ſunt vecti, exempla mu-*
B *tuanda, quatenùs motum hunc violentum, & naturæ humanæ penitùs contrarium ferre poſſunt.*

Tiberius Nero urgentibus ſe Druſo fratre graviter ægrotante nunciis, tribus vehiculis ex urbe in Germaniam feſtinans, nocte, dieque ducenta millia paſſuum emenſus quantum viæ nullus, quod proditum ſit, quadrupedibus fecit unquam. *Plin. l.7. cap.10.*

Paradium, ſcribit Caſſiodorus Theodoſii tempore, tanta fuiſſe & animi acrimonia, & corporis firmitate, ut veredis concitatiſſimis triduo Romani Imperii limites contingeret ac Perſarum: & rurſum altero triduo Conſtantinopolim repeteret. Unde invulgatum, Romanæ potentiæ ſpatia, lata alioqui, illius pernici celeritate reddi peranguſta. *Cælius lib.11. c.13. Antiq. Lect.*

SESSIONIS.

Scythas Hamaxobios ob aſſiduam in turribus ſeſſionem, quibus idem currus, & ortus, & vitæ, & mortis carcerem circumſcribit, corpora propter quietem vaſta acquirere, eamque ipſam ob cauſam ad inſidendum equis apta. *Hip. de Aere,*
C *aquis, locis* auctor eſt.

Athenienſes olim propter rei maritimæ uſum, quod remis addicti, ſeſſione jugi ipſi ſibiipſis nates attererent, à Comicis per jocum ἐπολίσποι, & ἀπόγλυτοι, hoc eſt, depiges, & natibus carentes fuere appellati.

De Maſſiniſſa rege Numidiæ memorat *Diod. Sic. libro 33.* illum ut corporis quoslibet motus, ſic ſeſſionem quoque continuam per diem integrum ferre potuiſſe.

ALIMENTI INOPIAM UNIVERSIM

Ferre.

☞ *Potentiam paſſivam tolerandi famem hìc intelligimus. Nam qui fame, aut ſiti nulla urgentur, ad Appetitricis locum pertinent. Ex Tit. Jejunii, eorum, qui volentes à cibo, potuve abſtinuerunt, exempla ut mutuanda. Qui coacti, ſub Tit. Fames memorabilis, enumerabuntur.*

Socrates ad famem, ac ſitim tolerandam exercuerat ſeſe poſt ſudorem enim è palæſtra collectum, cùm alii potum vehementer appetunt, nunquam bibebat de primo cratere. Rogatus quam ob rem id faceret? Ne conſueſcam, inquit, obſequi affectibus. Interdum enim, licèt ſitias, noxium eſt bibere: hìc cùm ratio ſuadet abſtinentiam, affectus hortatur,
D ut bibas, magis obtemperandum eſt rationi. *Laert. lib.2.*

Non ferre.

☞ *Mollities hæc eſt Corporea. Quæ ipſa tamen cum mollitiem Animi accendat, ex Loco Puſillanimitatis inferenda alimenti inopia, exempla huc quoque transferri poterunt.*

FAMEM

Ferre.

Scythæ quando prævident famem tolerandam eſſe, faſciis ventrem ſtrictiſſimè circumligant. Ea ventris compreſſione famem depelli poſſe credunt. Hoc argumento Eraſiſtratus in primo Διαιρέσεων utitur, ad oſtendendum famem fieri propter inanes, atque patentes ventriculi, & inteſtinorum fibras. *Gellius lib.16. cap.3.*

Non ferre.

D. Procopius Breunovienſis monachus in Boemia, nihil in juventa ægriùs, quàm famem tolerabat. Ob quam rem præſide Breunovienſi aliquando indignante, atque id agente, ut abductum in agrum, jejunare propter cibi inopiam uſque ad horam præſtitutam cogeret: Procopius famelicus conſpe-
cta arbore corno, conqueri de hyeme cœpit, per quam corna E
eſui matura nulla reperiret. Induit ſubitò ad ſuſpiria ejus arbor, & folia, & fructus, convertique ei novitate in ſe omnium oculos, ſed & Procopium mirabantur, tam avidè in oblatos fructus invadentem. Atque ab eo tempore indulgentius in continuandis jejuniis eſt habitus. Sed proceſſu ætatis abſtinentiam deinceps ſic coluit, ut exemplo aliis eſſet. *Dubr. libro ſexto.*

Sitim Ferre.

Bethulienſes Judæi aquarum penuria, cùm Holofernes Nabuchodonoſoris dux omnes puteos obſtruxiſſet, ita affligebantur, ut plurimi ſiti interierint, donec divinitus obſidio ſoluta eſt. *Judith. cap.7.*

Bello Judaico Samaritani in monte Garizim collecti, à Cereale Tribuno Veſpaſiani obſidebantur. Evenit autem, aqua tunc indigentibus Samaritis, etiam graves accendi æſtus, adeò ut nonnulli quidem una die ſiti morerentur: multi verò ejuſmodi morti ſervitium præferentes, ad Romanos transfugerent. Cerealis primùm eos ad fœdera hortabatur, ſi arma pro-
jeciſſent, tutos fore promittens. At quia perſuadere non po- F
terat, occidit omnes, numero XIMDC. *Joſephus lib.3. cap.12. belli Judaici.*

Fama eſt Soum inter Lycurgi majores clariſſimum, cùm in loco arido, & aſpero circumſideretur à Clitoriis, pactum fuiſſe, ſi ipſe, totuſque exercitus ſuus ex propinquo fonte bibiſſent, agrum ſe, quem iis ademerat, redditurum. Cùm eſſet id fœdus jurejurando ſancitum, concione advocata ſuorum pronunciaſſe, regnum ſe ei, qui non bibiſſet, dare. Ubi nemo ſe temperare potuit, ſed biberunt omnes: ipſum deſcendiſſe omnium poſtremum: atque cùm conſperſiſſet aqua ſe, hoſtibus adhuc præſentibus, diſceſſiſſe: itaque agrum, quòd potaſſent omnes, retinuiſſe. *Plut. in Lycurg.*

Beſſum fugientem ſecuturus Alexander, relictis cum Artabazo, & patre copiarum impedimentis, ipſe exercitum trahens expeditum, per torridam regionem, & ſiticuloſam, noctu potius, quam interdiù iter faciebat, ſitique interim, & æſtu penè ad interitum laboratum. Quò contigit, ut repertis aquis tantùm humoris hauſerit avidus miles, ut ad ſuſtinenda arma pe-
nè inutilis ſit factus. Fortè accidit, ut quidam utrem, aquæ G
habens filio occurreret, ne intoleranda ſiti abſumeretur. Is regem intuitus æſtu, & labore affectum, vas aquæ illi obtulit. Tum rex: Cui inquit, opem ferre deſtinaveras? Meo, ait, filio, veritus ne priuſquam ad flumen venerit, extinguatur. Reſtituit Alexander illi poculum, faſſus ſe bibere non poſſe, tot militibus ſitientibus, quorum deſideria exiguum vas aquæ explere non valeret. Atque per hunc modum ad Oxum amnem non multò poſt ventum eſt, ubi ſub noctem ignes regis juſſu inedito quàm plurimi excitati ſunt, ut ad eos tardum agmen flecteret veſtigia. Miſit, & qui cum utribus fluviali aqua plenis venientibus prodirent obviam, ut ſiti, & æſtu affecta corpora potu levarentur. Fama eſt, ibi aquam tam cupidè hauſtam, ut plurimi intercluſo ſpiritu confeſtim exanimati ſint, nec ullo unquam loco citrà pugnam major eſt Macedoni clades accepta. *Sabell. lib.5. Enn.4.*

Non ferre.

☞ *Conſule Tit. Puſillanimitatis.*

Non famem, ſitim.

Lyſimachus in Thracia ſuperatus à Dromocheta, cùm ob ſitis impatientiam tum ſe, tum exercitum dediſſet, poſteà-
quam bibit, jam factus captivus: O dii, inquit, quàm brevis H
voluptatis gratia me ex rege feci ſervum? *Plut. in regum, & imperat. Apoph.*

Reducebat exercitum è Media M. Antonius, inſequentibus Parthis. Pervenit ad amnem, cujus erat gelidus, & limpidus liquor, ſed falſus, medicatuſque, qui hauſtus mox alvo concitata, & inflammata ſiti excitabat dolores. Quod quamvis præmoneret Mardus itineris dux: nihilominus Milites Romani, repulſis, qui prohiberent: potaverunt, & perierunt. *Plutarchus in Antonio.*

* Tonitru.

Definitio, & Etymologia.

Tonitru βροντὴ Græcè, *Rabam* Hebraicè, id eſt, turbatus eſt magno impetu, definitur ſonus factus in nubibus ex violenta percuſſione exhalationis calidæ, & ſiccæ, ad latera, nubis, vel ſonus ingens excitatus, aut per concuſſionem, aut per fractionem laterum nubis, à ſpiritu intus tumultuante, videa-

videatur *Ariſtoteles lib.12. Meteororum*. Tonitru autem di- A ctum volunt, quòd ſonus ejus terreat, juxta Iſidorum, fortaſſis melius à ſono, quem excitat.

Divisio.

Tonitru eſt Triplex, Tumultuans, Crepitans, & Stridens, juxta varietatem ſoni, quem excitat, aut quo à nobis percipitur, eſtque crepitans magis præ aliis periculoſum, eò quod exhalatio ſit magis collecta, & majori virtute exeat, & perrumpat nubem.

Albertus Magnus in *libro de poſſeſſionibus aeris*, ita de hac re Philoſophatur. Tonitru tripliciter egreditur à propria nube, ante inflammationem, in ipſa inflammatione, & poſt. Ante quidem, cùm incipit comprimi in profundum acumen ſui, eò quod ſiccus eſt: penetrat nubem, & egreditur aerem, & commovet ipſum fortiter, vel debiliter, ſecundum virtutem ſuam, ideò ante tonitrua fiunt venti calidi, & fortes, in inflammatione quandoque uterque eſt rarus, & debilis, & tunc B quia non invenitur reſiſtens, egreditur ſine ſono, vel vento, qui à nobis auditur, ut in æſtate. Poſt inflammationem: tunc pulſando latam nubem facit ſonum, ſed antequam pertranſeat, extinguitur, & ſonus auditur ſine coruſcatione.

Causæ.

Cauſa materialis eſt exhalatio nubi incluſa, & exitum quærens, efficiens ſunt ipſa aſtra, quæ exhalationes educunt. Item vapores, qui intra nubem etiam recipiuntur, & exhalationes velut extrudunt. Denique exhalatio ipſa quatenùs erumpit.

Formalis eſt ſonitus ille, quatenus provenit ab exhalatione, qui juxta Albertum ſupra tribus modis fit. Primò, cùm expreſſione violenta exprimitur unum ab altero. Secundò, cùm paulatim vapor ſcindens nubem ſuam qua eſt evolans aliam nubem, invenit ſiccam, conſtrictam, & impingit in illam, & ex colliſione facit ſonum quandoque cum coruſcatione. Tertiò, egreditur vapor parvus, & rarus, inflammatus ex nube tenui, & non multùm aquoſa, & tunc videtur ignis. ut flamma alba per multùm fumum, & in propria nube non facit C ſonum, ſed ſi obviat ei nubes aquoſa, flamma extinguitur, in illa nube rumorem faciendo, ut ferrum candens in aqua.

Finalis eſt, ut aer purgetur à noxiis exhalationibus, & vaporibus, Item fœcunditas terræ, nam tonitru ordinariè ſequuntur imbres. Tertiò, Deus nonnunquam eo fragore homines terrefacit, & ad ſui timorem, ac reverentiam adducit, quomodo in Ægypto, & in monte Sina accidit. Atque hoc modo Pythagoras dicebat, Jovem immittere tonitrua, ut timeant, qui in inferno detinentur, teſte *Ariſtotele l.2. Poſt.c.11.*

TONITRU GENERATIO, Et de ea Philosophorum opiniones.

Tonitrui, fulguris, & fulminis variæ opiniones fuere. Anaximander, de ſpiritu hæc originem trahere exiſtimavit, quoties enim craſſa nube comprehenſus is, & violenter excuſſus fuerit ob ſubtilitatem, & levitatem, nunc eruptio ſtrepitum, diſtinctio verò ex nubis nigredine ſplendorem perficit. Metrodori ſententia eſt, cùm in nubem ex denſitate craſſam ſpiritus inciderit, fractura quidem perficere ſtrepitum, percuſſu autem, & ſciſſione ſplendeſcere, velocitate verò delationis ex ſole caliditatem aſſumere, & fulmen emitti, cujus debili- D tas definit in fulgetrum. Anaxagoræ opinio eſt, cùm calor in frigus, id eſt, cùm pars ætherea in aerem inciderit, ſonitu tonitruum fieri, fulgura nebuloſi nigroris aſpectu fieri, magnitudine autem, & multitudine luminis ita lumen oriri, ut corpulentiori typhonem igne, & nebuloſo fulgetrum: at Stoicis placuit ita definiri tonitruum, nubium colliſio: fulgur ita, ex colliſu aſcenſio, fulmen ſic, violentioris colliſionis coruſcatio.

Asclepiodorus dixit, fulgura, fulmina, & tonitrua fieri colliſione ex concurſu ſiccorum, & in aerem elevatorum, quemadmodum in radiis ſolaribus moveri videmus atomos. Talia corpora ſeſe collidere intelligit, & ignem excutere. Anaximanes dixit: ſpiritus in nubibus generare tonitrua.

Seneca dicit, quod ſpiritus incidens nubibus, edat tonitrua, & deinde cum luctetur per obſtantia, & interciſa vadens, ipſa ignem fuga accendat.

Quidam dixerunt tonitru eſſe reſtinctionem ignis in nube.

Quidam dixerunt, tonitru eſſe ſonum factum in nubibus, ex tumultuatione exhalationis. E

Empedocles dixit, Solem perducere ignem in nube ſuis radiis, qui extinctus ab humore nubis, ſonet edendo tonitru.

Igitur ſecundum Ariſtotelis doctrinam generatio tonitrui hunc in modum ſe habet: Cùm ſicca, & calida expiratio in nubem magnam, & lateribus craſſam, ac denſam includitur, accidit, ut per nubis cavitatem huc illuc diffugiat, & vel motu, vel antiperiſtaſi, vel ab utraque cauſa ſimul incaleſcat, & rarefiat, proindeque ampliorem locum poſcat. Tum verò dum nubes magis magiſque frigore coarctatus, ſpiritus incitato impetu fugam quærens ictu vehementi in nubem impingit, eamque diſrumpit, ſicque ingens ſonitus exiſtit, quem tonitruum vocant

Notanda eſt pro hujus rei intelligentia ſimilitudo, qua Ariſtoteles explicat modum, cauſamve, cur tantùm ſonum exhalatio edat. Nimirum quemadmodum cùm ligna multùm ſiccæ inſpirationis in meatibus continentia uruntur, crepitum movent, exhalatione in apertum prodeunte, lignaque diſrumpente: ſic in nubibus multò ſpiritu fœcundis facta earum F diſſectione, vehemens ille ſonus exiſtit. Quam ſimilitudinem expreſſit *Lucretius libro 6. ſui poemat.* hiſce verſibus:

Avidior porrò ſi nubes accipit ignem,
Uritur ingenti ſonitu ſuccenſa repentè:
Lauricomos uti ſi per montes flamma vagetur,
Turbine ventorum comburens impete magno.
Nec res ulla magis, quàm Phœbi Delphica laurus,
Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.

Locus, et Tempus.

Locus Tonitru, in quo generatur, eſt idem cum loco nubium: videlicet media, vel infima aeris regio, neque enim tonitru reperitur niſi poſitis nubibus. Si enim quandoque audiatur aliquis ſonus in aere etiam quando nubes non apparent, non eſt propriè tonitru, ſed tantùm quædam repercuſſio exhalationis tenuis facta in media aeris regione.

Tempus verò eſt potiſſimùm Ver, & Autumnus, tunc enim plures ſunt nubes, per quas exhalationes aſcendentes impediuntur. Et ſcribit ſuprà Albertus Magnus, quod tonitrui tempus aliud eſt in frigidis, aliud in calidis regionibus quia G in 5.6. & 7. raro fortior eſt, & elevat vaporem: in calidis ſcilicet 1.2.3. & 4. generantur tonitrua in æquinoctialibus ſole exiſtente punctis.

Tonitru Veris tempore generatur, diſſoluta hyemali humiditate, ob calorem aeris affecti à ſole, unde plurima ſurſum tollitur evaporatio, quæ, quia ſol non ad perpendiculum radios jaculatur, minus intenſus redditur calor, quàm ut ipſum poſſit conſumere, & inde tonitrua, & fulmina proveniunt. *Joan. Franc. Picus Mir. de prænot. lib.5.c.4.*

Dissipatio.

Campanis pulſatis diſſipantur tonitrua, id quod etiam fit à tormentis æneis, quæ à ſono terribili Bombardæ dicuntur. Nam moto ipſo aere, moventur & ipſæ nubes, quibus nubibus motis diſſipantur.

Memorabile hujus rei exemplum ſcribit *Plutarchus in vita Titi Q. Flaminei*, qui affirmat ex clamore exultantium Græcorum, quibus libertas reſtituebatur ſua, adeò motum aerem, ut etiam aviculæ in aere exiſtentes decidere viſæ ſint. Hujus miraculi cauſam præcipuam fuiſſe indicat, dicitque: Quod cùm vox magna edita ſit, ipſius indiſiunctus aer, nullam vo- H lentibus firmitatem exhibuerit. Itaque cum idcircò lubricus factus ſit, aves perinde, ac ad inane pervenerint, delapſas eſſe, aut medius fidius à clamoris ictu, tanquam ſagitta quadam ſaucias exanimes cecidiſſe.

Tonſor.

Definitio, & Etymologia.

TOnſores à tondeo, quod eſt lanam, & capillos incido; dicuntur, qui capillos, barbam, aut aliud quidpiam radunt. κουρεὺς Græcis, & κουρὰ tonſus. Olim tonſores non fuiſſe colligit Varro, ex eo quòd veteres ſtatuæ videantur capillitio, & barba protenſa. Ac primùm ex Sicilia Romam, & in Italiam veniſſe exiſtimat, anno CCCC.XLIX. ab V. C. qua de re Ardeæ ſcriptum in publico extat. *lib.2. de re ruſt. cap.11.* Fuiſſe tamen tonſores ovium, ex quo homines eſſe cœperunt, conſtat ex S. Litteris.

TON-

TONSORES VARII.

A Exempla, et Apophthegmata.

☞ *Sub loco Bonorum Corporis, varios tondendi ritus annotavimus. Hìc ſolius mechanicæ operæ rationem habemus.*

Tonsor Midæ regis auriculis conſpectis, cùm ſecretum ſilentio premere non poſſet, ſcrobi effoſſæ clàm inſuſurravit: Auriculas aſini rex Midas habet. Quam vocem enatæ cannæ, vento leniter ſubeunte, expreſſere, & Regis auriculas prodidere. *Ovid. lib.11. Metamorph.*

Ctesibius tonſor Alexandrinus in Aſpendia habitans, Ptolemæi Evergetæ II. temporibus, hydraulin muſicum inſtrumentum invenit, ejuſque rationem Thaidem quoque amicam docuit. *Athen. lib.4. cap.24.*

Quæ jam ora vulgi abierunt, omnibus Tonſoribus, ac lippis nota dicuntur: propterea quòd olim in tonſtrinarum conſeſſibus omnes rumores narrari conſueverunt. Quod indicat *A-* B *riſtophanes in Pluto*:

Καίτοι λόγος γ' ἦν νὴ τὸν Ἡρακλέα, πολὺς
Ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων,
Ὡς ἐξαπίνης ἀνὴρ γεγένηται πλούσιος. *Id eſt*,
Herclè profectò ſermo erat videlicet
In officinis deſidentium frequens
Tonſoriis, hominem repentè divitem
Factum eſſe.

Et apud Terentium Antipho in tonſtrina de puella cognoſcit. Item Horatius de tonſtrina.

—— Gaudent ubi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Idem *in ſermonibus*.

—— Opinor,
Omnibus & lippis notum, & tonſoribus eſſe.

Nam lippi in tonſorum officinis deſident, expetentes remedium oculorum. De tonſorum garrulitate complura lectu digna recenſet Plutarchus in libello, quem ſcripſit de Futili loquacitate, quorum unum illud referre non pigebit. Cùm aliquando, inquit, in tonſtrina ſermo eſſet de Dionyſio, diceretur- C que tyrannidem illius admantinam eſſe, & inexpugnabilem: ridens tonſor: Hæccine, inquit, loqui nos de Dionyſio, in cujus jugulo ego ſubinde teneo novaculam? Quod dictum ſimulatque Dionyſius reſciſſet, tonſorem in Crucem ſuſtulit: atque ita, quod ait Plinius, voces per jugulum rediere in auctorem. *Eraſmus in Adagiis.*

Cùm loquax Tonſor eſſet Archelaum regem ſciſcitatus, Quomodo tondebo te? Tacitus inquit. *Plut. in Apoph.*

Dionysius tyrannus tonſorum metu tondere Filias ſuas edocuit. Quarum ipſarum, poſtquam adultæ ætati appropinquabant, manibus ferrum non auſus committere, inſtituit ut candentium juglandium, aut nucum putaminibus, barbam ſibi, & capillum adurerent. *Plut. in Dione.*

Trypho Herodis regis tonſor, ſpe præmii, à Tirone veterano milite, amico ſummo Alexandri (quem Herodes pater de inſidiis ſuſpectum capitis damnarat) ſe non ſemel ſollicitatum aſſeruit, ut inter curandum guttur Herodi novacula præcideret. Ab Herode autem unà cum Tirone in vincula conjectus, cùm filius Tironis tonſorem etiam conſpirationis reum faceret, à populo lapidibus obrutus, dignas ſuæ perfidiæ pœnas luit. *Joſeph lib.16. cap.17. Antiq.*

D Itas Cleopatræ reginæ Ægypti tonſtrix, in ſumma gratia apud illam pariter, & M. Antonium, ita ut publica quoque negotia interdum adminiſtraret. Quæ ſeſe ut vitæ, ſic & mortis ſociam Cleopatræ præbuit unà cum Charmio ancilla. *Plutarchus in Antonio.*

Reconciliaverat Ptolemæo fratri Cleopatram Cæſar. Hujus reconciliationis cauſa epulantibus cunctis, ſervus Cæſaris Tonſor ex timiditate, qua omnes mortales ſuperabat, nihil prætermittens inexploratum, ſed intentus auribus, & curioſus, inſidias intellexit Cæſari ab Achillia duce, & Pothino eunucho parari. Re comperta Cæſar convivium ſtatione circundedit, & Pothinum interemit. Achillas perfugit ad exercitum, belloque Cæſarem involvit gravi, & difficili: exigua enim manu tantæ civitati, & viribus erat reſiſtendum. *Plutarchus in Cæſare.*

Alphenus Varro Cremonenſis, tonſor fuit. Profectus inde Romam ſub Sulpitio juri operam ita dedit, ut brevi conſulatum adipiſceretur, & mortuus publico ſumptu funeratus eſt. *Fulgoſius l.3. cap.4.*

Lycinus tonſor Romanus locupletiſſimus. Meminit ejus *Horat. in Arte.* Marmoreum hic poſt fata tumulum obtinuit. E Hinc diſtichon illud.

Marmoreo tumulo Lycinus jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo, Credimus eſſe deos?

Tonſor quidam, qui officinam Romæ habebat pro foribus templi, quod forum Græcum vocant, garrulam ad miraculum uſque, & loquacem alebat picam. Hæc verba humana, voces ferarum, & organorum crepitus reddebat, nullius illa coactu, ſed meditans ipſa, elaboranſque nihil, quod non exprimeret, & ſimularet, prætermittere. Fortè funus divitis cujuſpiam illac ad multas tubas ducebatur. Quia verò eo loco conſiſtebat de more pompa: tubicines celebres, qui canere jubebantur, diù illic morem traxere. Pica poſt illum diem muta, & elinguis erat, neque vocem ſuam in laboribus neceſſariis mittebat. Quapropter, qui mirati antè fuerant ejus vocem, his majore miraculo erat ſilentium, & mutuum acroama, quibus quotidianum illac iter erat. Coniiciebatur autem in ejuſdem artis opifices veneni ſuſpicio: major pars à tubis ſuſpicabantur præſtrictum fuiſſe ejus auditum, atque unà cum auditu vocem extinctam. Cæterùm neutrum ho- F rum fuit, ſed meditatio, ut imitatrice in ſeipſam revocata, vocemque velut organum aptante, & inſtruente. Poſt enim repentè apparuit, & eluxit vox, neque ex ſolitis illis, & priſtinis ſimulacris quidquam, ſed turbarum cantilenas iiſdem periodis ſonabat, varietateſque omnes, ac vocum cunctos numeros peragebat. *Plut. de Animantium comparatione.*

Donatus Tib. Germanici tonſor. Cujus Epitaphium extat Romæ in regione Pineæ, quòd hodie adhuc viſitur. *Petrus Appianus in Antiq. orbis.*

In Cimnamum, *Martialis Epigrammatum lib.7.*

Qui tonſor fueras tota notiſſimus urbe,
Et poſthac dominæ munere factus eques:
Sicanas urbes, Ætnæaque regna petiſti,
Cinname, cùm fugeres triſtia jura fori,
Qua nunc arte graves tolerabis inutilis annis?
Quid facit infelix, & fugitiva quies?
Non Rhetor, non Grammaticus, ludive Magiſter,
Non Cynicus, non tu Stoicus eſſe potes:
Vendere nec vocem Siculis, plauſumque theatris: G
Quod ſupereſt, iterùm, Cinname, tonſor eris.

In Tonsorem ineptum, & carnificem, *Lucillius in 2. Epigrammatum Græc.*

Ἀρέα ἄρες βροτολοιγέ, μιαιφόνε, παύσεο κουρεῦ
Τέμνων' ὁ γὰρ ἔχεις οὐκ ἔτι πῦμε τάμνε.
Ἀλλ' ἤδη μεταβὰς ἐπὶ τὰς λύας, ἢ τὰ κάτωθεν
Τῶν γονάτων, οὕτω τέμνε με, καὶ παρέχω.
Νῦν μεν γὰρ μυιῶν ὁ τόπος γέμει ἢν δ' ἐπιμείνης,
Ὄψει καὶ γυπῶν ἔθνεα καὶ κοράκων.

D. Eutapelo, *Martialis Epigrammatum lib.7.*

Eutrapelus tonſor dum circuit ora Luperci,
Expungitque genas, altera barba ſubit.

Ad Antiochum tonſorem, *idem Epigram. lib.11.*

Qui nondum ſtygias deſcendere quærit ad undas,
Tonſorem fugiat, ſi ſapit, Antiochum.
Alba minus ævis lacerantur brachia cultris,
Cùm furit ad Phrygios enthea turba modos.
Mitior implicitas Alcon ſecat enterocelas,
Fractaque fabrili dedolat oſſa manu.
Tondeat hic inopes Cynicos, & Stoica menta,
Collaque pulverea nudet equina juba. H
Hic miſerum Scythica ſub rupe Promethea radat,
Carnificem nudo pectore paſcat avem.
Ad matrem fugiet Pentheus, ad Mænadas Orpheus,
Antiochi tantùm barbara tela ſonent.
Hæc quæcunque meo numeraſti ſtigmata mento,
In vetuli picta qualia fronte ſedent,
Non iracundis fecit gravis unguibus uxor.
Antiochi ferrum eſt, & ſcelerata manus.
Unus de cunctis animalibus hircus habet cor,
Barbatus vivit, ne ferat Antiochum.

Tonsoris Tornacenſis filius nomine Petrachinus Verbecchus, Ricardum Orcadum, Eduardi IV. Britannorum Regis filium ſe eſſe ſimulavit.

☞ *Vide Titulum, Generis nobilitatem aſtutè comparare.*

Dandam Oliverium, cæſo ab Helvetiis Carolo Burgundo, Ludovicus XI. rex tonſorem ſuum, obſcuro genere rure Gandaven-

Gandavenſibus propè ſuburbano natū, miſerat Gandavum, ut ſi qua facultas foret, cum Maria unica filia Caroli ſummotis arbitris ageret, ut ea paterno, maternoque genere orta è regia Francorum nobilitate, primas orignes ſuas reſpiceret, ſeque regis fidei regendam crederet, ſplendidiſſimoque conjugio ſociandam. Gandavenſes puellam in poteſtate habebant, nec patiebantur cum virgine occulta ſeri colloquia. Illud operæprecium fecit, quòd ne ab rege callidiſſimo miſſus, ſeditiones in urbe variis motibus agitari aſſueta excitaret, juſſus abire, Tornacum ſe recepit. A tonſore Tornacenſes nihil timebant. Præfectos regios clàm per idoneos nuncios præmonuit, ut noctu iter ingreſſi, ſub lucem ad mœnia adeſſent. Ipſa cum his, quos in comitatu ſuo de induſtria ſummæ audaciæ homines circiter triginta habebat, ad primam auroram portas occupat, regioſque Præfectos ſub ſignis intromiſit, plebe non invita, optimatibus indignè ferentibus. *Æmilius lib.*10.

Tonſor Ludovicum Arcimboldum Mediolanenſem veneno tollit.

☞ *Vide Tit. Servi imperioſi.*

Tonſor Mathiæ Corvini Regis Ungariæ. ☞ *Vide Tit. Crudelitatis dominorum erga ſervos.*

* Tonſura.

Tonſura eſt ipſe tondendi actus communiter: hic potius pro certa tondendi formula uſurpamus, quæ ſecundùm varios ſtatus varia. Ac primùm.

Tonsura clericorum, et monachorum unde.

*Epip. hæreſ.*30. dicit, Tonſuram à Monachis uſurpari, quia & vet. Teſt. velut Monachi, Nazaræi, Cæſariem geſtabant. *Iſid.* idem dicit generatim de *Clericis divin. officior.* verba illius ſunt: Hujus exempli (Nazaræorum) uſus ab Apoſtolis introductus eſt, ut qui divinis cultibus mancipati, Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id eſt ſancti Dei, crine præciſo innoventur, ut hoc ſigno, & religione vitia reſecentur, & criminibus carnis noſtræ quaſi crinibus exuamur, exſpoliantes nos veterem hominem cum actibus ſuis: quam renovationem in mente oportet fieri, ſed in capite demonſtrari ubi ipſa mens noſcitur habitare, quod verò de tonſo capite ſuperius inferius circuli corona relinquitur. Sacerdotium, regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari. Hinc & thiara apud veteres conſtituebatur in capite Sacerdotum, Quia vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium.

Cujus & alia datur cauſa, nimirum ob jugem memoriam ſpineæ coronæ Chriſti. Idque ab Apoſtolis factitatum, & Eccleſiæ traditum, certa aſſertione docet *Beda lib.*5. *de geſt. Angl.c.*22. Neque, inquit, ob id tantùm in coronam attondemur, quia atronſus ita eſt Petrus, ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ Paſſionis ita attonſus eſt: idcircò & nos, qui per eandem paſſionem ſalvari deſideramus, ipſius paſſionis ſignum cum illo in vertice geſtamus. Sicut ergo fideles ſignum Crucis geſtant in fronte contra malignos ſpiritus utque doceantur ſe carnem cum vitiis crucifigere debere: ita Clerici, & Monachi gerunt formam coronæ, quam Chriſtus in paſſione ſua ſpineam portavit capite, ut ſpinas, ac tribulos peccatorum noſtrorum portaret, id eſt exportaret, & auferret à nobis: ut ipſi ſe irriſiones, & opprobria pro Chriſto libenter, ac prompto animo ſufferre, ipſo etiam frontiſpicio doceant, ut coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, ſemper exſpectare, proque hujus perceptione adverſa mundi, & proſpera contemnere deſignent. Hæc, & plura *Beda, & Albinus Flacc. de divin. Offic.*

Antiquitas.

Monachis jam à tempore S. Dionyſii Areop. ut ipſe teſtatur *Eccleſ. hier. p.*2.*cap.*3. caput radi conſuevit, capitis enim abraſio monitio eſt, & ſymbolum 1. Lugentis, & mœrentis hominis: 2. Caſti, & ornatu pudicitiæ adornati, ut ait S. Pauli *epiſt.*7.3. Terrena contemnentis, & cœleſtia meditantis. *Vide Baronium anno Chriſti.* 58.

Sciendum tamen eſt, olim non tam raſuram, quàm tonſuram fuiſſe in uſu, tondebantur enim demiſsè quidem, ſed ita tamen ut cutis tecta maneret. Quod apparet ex *Clemente Alexandrino lib.*3.*pedagog.cap.*11. Sed pili, inquit, tondendi ſunt, non novacula, ſed tonſorum forficibus.

Item ex *Optato Milevitano*, qui *libro contra Parmenianum* arguit Donatiſtas, quod Catholicis Sacerdotibus per vim capita raſerint: Docete, inquit, ubi vobis mandatum ſit, radere capita Sacerdotibus, cùm è contrario tot ſint exempla propoſita, fieri non debere.

Item ex *Hierony. in cap.*44.*Ezechielis*, ubi dicit, Sacerdotes non debere comam alere, nec tamen radi; ſed ita tonderi ut cutis tecta maneat. Denique Dionyſius, Epiphanius, Hieronymus, Athanaſius, Palladius, Auguſtinus, Iſidorus, Beda & Concilia Carthaginenſe, & Toletanum nuſquam nominant raſuram, ſed ſolam tonſuram. Unus eſt Anicetus Papa, qui, ut dixi, raſuræ meminit, ſed non eſt ea epiſtola prorſus indubitata, fortè enim falſum titulum præ ſe fert.

Nec tamen propterea reprehendimus uſum hujus temporis; quo Monachi, & Clerici raduntur; ut nec unquam fuit prohibitum radi, & præterea ejuſmodi cæremoniæ, pro temporum, & locorum diverſitate, variari poſſunt.

Tonsuræ clericalis ratio.

Diximus ſupra ex *Iſidoro lib.*2.*de divinis offic.cap.*4. quod nimirum Monachi tondebantur ad imitationem Nazaræorum, qui in die conſecrationis ſuæ tondebantur, ut dicitur *Num.*6. Nazaræi enim ſunt Monachi teſtamenti veteris. At hæc ratio non ſatisfacit (*Cardin. Bellarmino lib.*2.*c.*40.*de Monachis*. Si quidem, inquit, Nazaræi tunc ſolùm tondebantur, cùm deſinebant eſſe Nazaræi, inſigneque illorum erat longa cæſaries, ut patet *cap.*6 *Numer.*

Immò *Epiphanius hæreſ.*80. probat, Monachos noſtros debere eſſe tonſos, quia gerere comam longam, eſt proprium Nazaræorum Teſtamenti veteris. Sicut etiam *Auguſt. lib. de opere Monachorum*, dixit, Patres teſtamenti veteris meritò geſtaſſe longos capillos, quia myſteria redemptionis nondum revelata erant. Idem enim ſignificabant velamen poſitum in facie Moyſis, & coma longa ſanctorum. At nunc poſteàquam Chriſtus apparuit, convenit, ut, qui Chriſto ſunt conſecrati, contrarium ſignificent ablatione comarum, & hæc poteſt eſſe ratio prima noſtræ tonſuræ.

Secundam reddit *Beda lib.*5.*hiſt. cap.*22. ad exprimendam imaginem ſpineæ coronæ; ut enim omnes Chriſtiani ſigno communis Crucis ornantur, ita par erat, ut Clerici, & Monachi, qui ſpecialius Chriſtum patientem imitari volent, ſpeciali ſigno ornarentur.

Tertiam, & quartam rationem reddunt *Iſid. l.*2.*c.*4. *Raban. lib.*1.*de inſt. Cler.c.*3.*& Hugo lib.*2.*de Sacram.p.*3.*c.*1. Dicunt enim tonderi capillos, qui ſunt ſuperfluæ quædam corporis partes, ad ſignificandum, debere Clericos, & Monachos omnia ſuperflua, & præcipuè vitioſas cupiditates amputare, ut ſic maneat vertex, id eſt, animus liber, & apertus divinis contemplationibus, & illuſtrationibus: & rurſum ſic tonderi dicunt, ut relinquatur circulus capillorum, ad ſignificandam regiam coronam, quandoquidem ſervire Deo regnare eſt.

Quintam redidit *Dionyſius cap.*6. *Eccleſ. Hierarchiæ*, ut ſignificetur illa nudatione capitis, vita pura, & aperta, non fucata ulla ſpecie, quam Monachus exhibere debet.

Poſſet addi ſexta ratio, nimirum ut ſignum eſſet pœnitentiæ, & converſionis, nam pœnitentes olim non niſi tonſi recipiebantur. Porrò tonſuræ Sanctimonialium rationem moralem reddit *Hieronymus in epiſt. ad Sabinianum*, quia nimirum non lavabant unquam, nec ungebant caput, & periculum erat ne a parvis animalibus, quæ inter cutem, & crines oriuntur, & concretis ſordibus opprimerentur. Quanquam negari non poteſt, quin etiam id fiat ad contemptum mundi demonſtrandum; ſolent enim fœminæ capillos plurimi facere.

Legimus Epiſcopis abſtracta voce nomen tributum coronę, Corona tua, &c. Ut ab *Ennodio ep. ad. Marcellin. & epiſt. ad Aurelian. & epiſt. ad Symmachum Papam, Sidonio l.*6. *ep.*3.*l.*7. *ep.*8.*ab Hieron. ep.*81.*ad Auguſt.* & ab aliis, ſuſpicor tonſuram intelligi coronæ inſtar majorem in Epiſcopis, maximè quod, & iidem interdum Papæ vocantur: Papa verò quorundam opinione, de qua *Remigius Antiſiodorenſis de celeb. Miſſæ*, (nec veriſimilis eſt) dicitur quaſi ab admirationis interjectione *Papæ*! quia ſit mirabilis, & coronatus, & præterea quoniam, teſte *Balſamone in can.*21.6.*Sinod. in Trullo.* tonſura Clerica, & Epiſcopalis corona vocatur παπάλητρα; & in Conſtantini pragmatico ad Sylveſtrum, corona Clericatus.

* Tonsura ignominiosa.

Adhibita in poenam.

Stupri.

Apud Græcos viſitata fuit olim pœna ſtupri, barbas publicè hujus flagitii connictis præcidi, atque ita illos ut infames dimittere.

De

De qua re lepida eſt hiſtoria *in Chronico Gallico Sabaudiæ libro* 2.*cap.*155. Quo ritu, & cæremonia pœna loco Juveni ferè imberbi ex aulicis Comitis Sabaudienſis Amadæi VI. hujus nominis, Conſtantinopoli publicæ barbæ naſcentis, vel potiùs lanuginis erumpentis, pili à tonſore præciſi ſint, eo quòd violenter compreſſerat nobilem virginem hoſpitis ſui. Cùm verò poſt atrocem accuſationem patri violatæ virginis, hac tonſa lanugine (nihil enim ampliùs petierat) ſatiſfactum eſſet, tantùm abraſione pluſculorum pilorum, veluti expiari, noluit tamen tunc temporis (cùm nobilem ſuum propter fidem, & fortitudinem amaret) ſeverior lege municipali eſſe, & in illum graviori pœna animadvertere. Verùm addidit hanc comminationem, ſi is, vel alius ex ſua familia denuò tale aliquid perpetraret, ſe more Sabaudico, cui caſtitas Virginum magis cordi eſſet, non Græco, delinquentes ſeverè puniturum.

Homicidii.

Similem pœnam etiam olim erga homicidas apud Græcos uſitatam fuiſſe conſtat, cùm à Græcis Genuenſes nonnulli Peræ habitantes, in ſeditione quadam occiſi eſſent, Imperator enim barbas homicidis in pœnam ſceleris radi juſſit, quæ mulcta apud eos valdè ignominioſa fuit. Qua non contenti Genuenſes, Imperator, ſed admodùm ludicra, & obſcœna, maleficii reos puniri juſſit, ut refert Poggius in facetiis.

Infamiæ.

Cæterùm quam gravis infamia, & injuria fuerit olim præciſio crinium, multis exemplis declarari poſſet: Sicut accidit tempore Henrici Imperatoris (quem Aucupem appellarunt, eo quòd illi in aucupio occupato renunciatum fuerit, ſe Imperatorem à Principibus declaratum.) Cùm enim ejus legati ab hoſtibus, qui munitiſſimum locum Hartesburgum in monte propè Goslariam occuparant violati, & crinibus præciſis, virgis quoque malè mulctati eſſent: mox punitis ſeverè violatoribus pacis, munitionem illam Imperator funditus evertit.

Sanè apud Turcas ſuperioribus ſæculis comas alere, & barbas uſitatum fuit. Barbam forficula tondere non erat in uſu. Tam proceres, quàm veteres Baſſæ Vezirlai prolixas barbas alebant: Si cui rex iratus eſſet ignominiæ, & pœnæ cauſa barbam homini præcidi jubebat. Mos ipſe tam præcidendi, quàm tondendi barbas, à Franckis (hoc eſt, Italis) ad Turcas manavit. *Hiſtoria Muſſulmannica lib.*4. *in vita Urebangaſi.*

Ibidem libro 10. *in vita Emir Suleimanis*, refertur, quòd Suleimanes, Chaſſani Agæ propter verba tum duriora, tùm acerbiora, quàm audire Principem à ſubdito prolata, par eſſet ignominiæ cauſa, more nationibus illis familiari, barbam præcidi mandaverit, propter quam ſummam contumeliam is ad hoſtes transfugit, & author fuit, ut Emir Suleimanis à ſuis proceribus, & militibus deſereretur, qui mox captus, & ſtrangulatus fuit, quod accidit anno Chriſti MD.XII.

* Tonsura usitata, et laudabilis.

Longiores comas in prælio multùm obeſſe, & valetudini non parum officere, experientia, & ratio dictat. Quo fortè reſpexit Carolus Magnus in Privilegio, quod Friſionibus Romæ in Lateranenſi palatio, anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo ſecundo, conceſſit, in quo hæc verba inſerta ſunt: Item ſtatuimus, ut Friſiones volentes militare, & in ſubſtantia habentes, ſint uſque ad ſummitatem aurium circumtonſi, auro in eorum paludamento undecunque ſplendentes, ut per hoc ſuam valeant oſtendere libertatem ipſis à nobis eſſe collatam. Quod privilegium inſeruit *Ludovic. Guicciardinus in deſcriptione Belgii.*

Nota libertatis.

Cæterùm planè diverſa, vel potiùs contraria ratione Claudius, vel Clodion II. Rex Francorum, qui ab habitu comatus, vel capillatus dictus fuit, cùm Romanos continuis bellis ferè ex tota Gallia feliciter expuliſſet, mandavit ſuis militibus, & ſubditis, ut in ſignum libertatis comas, & prolixos capillos portarent, cùm anteà Romani tanquam in notam ſervitutis ex decreto Cæſarum tonderi Gallos juſſiſſent. Accidit hoc circa annum Domini CCCC. XLIII.

Huc reſpexit *Sidonius* in ſuis verſibus:

Sic ripæ duplicis tumore fracto
Detonſus, &c.

Id eſt, victus, humiliatus, comæ honore adempto.

Athenis ſanè olim, quoque mos hic fuit: Juvenes comam valebant ad annos pubertatis, tùm à parentibus ad tribules adducebantur, ut comam tonderent, quæ μαλλὸς & σκολλὶς dicebatur. Ferè autem & Græci, & Romani comam hanc primùm alicui Deo conſecrabant, & cùm illam alere ſe in ejus honorem dicebant; tùm ibi tonderentur, illam in ejus Dei templo ponebant, cujus rei apud Pindarum, Æſchilum, Feſtum, alioſque ſunt teſtimonia.

Luctus.

Alius ritus fuit apud Perſas, *teſte Curtio*, qui in lugubri veſte Perſarum conjuges, & liberos, in funere tonderi prodidit: Hancque tonſuram non modò ad homines, ſed ad jumenta quoque perveniſſe ſcribit Herodotus, cùm de nece agit Maſiſtii, viri apud Perſas ſpectatiſſimi.

Suetonius etiam Tranquillus cùm Germanici interitum deſcribit: Quin & Barbaros, ait, quoſdam Regulos ferunt barbam poſuiſſe, & uxorum capita raſiſſe, ad judicium maximi luctus.

Eodem modo ſcribit Plutarchus, Græcos ſi quid eis adverſi accidiſſet: Viros capillos aluiſſe, fæminas totondiſſe.

Idem Herodotus ſcribit, Argivos capita totondiſſe, cùm ſuperati à Lacedæmoniis fuiſſent, in agri Tyræi contentione: ac ſi in maximo luctu conſtituti fuiſſent. Unde ait, legem tulerunt, ne quis comam aleret, donec Thyreas recuperaſſent.

Tonsuram non admittere, pretio redimere.

Narrat memorabilem hiſtoriam *Nicephorus*, atque ex eo *Philipp. Camerar. cent.*2.*horar. ſubciſ. cap.*40. de Balduino à Burgo, qui Edeſſam tenebat. Hic, inquit, duxerat uxorem cujuſdam Armenii Principis Melitenæ Gabrieli filiam, nomine Morphiam. Hic captus ad Cartas cùm magna pecunia æſtimaretur, & vix poſt quinquennium reverſus eſſet, laborare inopia pecuniæ cœpit, quia ſocer minus liberalis abundaret. Sic igitur rem componit: Suos equites, quibus ſtipendia debebantur, jubet ſe proficiſcentem ſequi ad ſocerum, & quaſi de improviſo petere ſolutionem ejus, quod deberetur, aut obligatum pignus auferri ſinere. Contendentibus autem illis, quemadmodum convenerat vehementius, clamoribus rixæ excitatus Gabrielus accedit, & quid rei, negotiique ſit percontatur. Cùmque omnia cognoviſſet, pergit ſciſcitari, Quodnam igitur pignus auferre equites velint, Ibi Balduinus tacere, quaſi pudore verum confiteri prohiberetur. Tum is, qui cauſam equitum ſuſceperat agendam: Barba, inquit, generi tui obligata eſt, & ſolutionis dies præteriit: aut pecunia igitur, aut barba nobis tradatur. Gabrielus mirari, & indignari: quærereque ex genero utrumne diceretur. Qui veluti invitus, ita eſſe reſpondit. At ille magis etiam commotus, qua neceſſitate impulſus tantam, & tam pretioſam, & maxima cura tuendam viro rem, oppignoraverit, interrogat. Quia enim, inquit, urgebant equites ſolutionem debiti, & nullo alio pignore ſatisfieri poſtulationi eorum poterat. Ibi Gabrielus ignarus de compoſito rem geri, ignominiam extremam ut arbitrabatur, generi perſoluta pecunia, equitibus redimit, & ſalva barba eum filiæ remittit.

☞ *Pleraque ad hunc Locum referri poterunt ex Locis de Abraſione, Barba, Capilli Raſura.*

* Tormentum, Tortura.

Definitio, & Etymologia.

Tormentum, Græcè βάσανος, dicitur. Et ſignificat omnem machinam ad torquendum ſaxa: quod veteres etiam tortum appellavere. Significat etiam dolorem corporis ad eruendam veritatem. Veteres etiam poſuere tormentum pro quocumque cruciatu.

Tormentum, cruciatus, qui aut eruendæ veritatis, aut criminis eruendi cauſa fieri ſolet, à torqueo, id eſt, crucio, id eſt, βασανίζω, Inde, βάσανος, Hebraicè *Deabah*, & *Daabon*, corruptio, à verbo *Daab*, tabuit, languidus fuit, ut iis etiam accidere ſolet, qui vel atrocis morbi, vel carnificum manus evaſerunt.

Hinc vox tortura apud Juriſconſultos uſitata, eſtque vocabulum forenſe, & alio nomine appellatur Quæſtio. Eſt illius uſus etiam in ſacris litteris. *Actor.*22. legimus, Tribunum juſſiſſe Paulum induci in caſtra, & flagellis cædi, ac torqueri, ut ſciret propter quam cauſam acclamarent ei.

Suſpica-

Suſpicabatur inquit Carthuſ. quod non niſi ob gravem exceſ-
A ſum tanto impetu adverſus eum moverentur.

TORMENTORUM INVENTORES.

☞ *Vide in Loco de Inventione, Crudelitate, Supplicio.*

TORMENTA QUI FORTITER Suſtulerint.

☞ *Quære ſupra ex Loco de Tolerantia. Ubi de Tolerantia vulnerum, verberum, Sectionum, Tormentorum quorumvis.*

☞ *Videatur etiam Locus de Martyribus, Religione, Conſtantia.*

* TORTURA CUR INVENTA? ET QUANDO ADHIBENDA.

Tortura introducta eſt non in pœnam criminis commiſſi; quia illud puniri necdum poteſt, cùm necdum ſit probatum, ſed in ſubſidium probationis ſufficientis, aut plenæ condemnandum, ita *Covarr. qu. 23. quæſt. Pract. Et Clarus quæſt. 64. num. 6.*

B Ex quo ſequitur, Torturam non poſſe adhiberi, niſi quando crimen eſt ſemiprobatum, & vehementia ſunt indicia, ſic ut penè moraliter ſit certum, ipſum eſſe auctorem. Tunc enim adhiberi poſſe conſentaneum eſt juri naturali, ne alioquin crimina manerent impunita, & facinoroſi licentius peccarent, ſi putarent ſe non convincendos. Neque iterùm adhibenda eſt Tortura, niſi in criminibus, quæ pœna mortis, triremium, aut mutilationis caſtigantur, ut docet *Gomez tom. 3. cap. 13. num. 2.* nam alioquin reo nondum convicto gravior irrogaretur pœna, quàm illa, ad quam eſſet condemnandus.

Sufficere autem ad torturam ſemiplenam probationem, eſt communis DD. ſententia, talis autem probatio erit, ſi unus teſtis, contra quem nulla eſt exceptio, affirmet, ſe vidiſſe v. g. tali loco, & tempore aliquem occidiſſe hunc, &c. Præter autem talem probationem, etiam ad torturam ſuffecerint alia indicia minora, quorum præcipua ſunt, Fama publica de auctore criminis, ſi aliis adminiculis ſtabiliatur, putà uno teſte inidoneo, aut veſtigio aliquo facinoris in veſte, armis, &c. Confeſſio rei extrà judicium, ſaltem coram duobus
C teſtibus, aut Judice non competente. Aſſertio duorum aut plurium, qui ſe ſocios criminis confitentur, non tamen ſuffecerit aſſertio vulnerati ſolius etiam uſque ad mortem perſeverantis, niſi ad capturam, ut docet *Gomez. num. 16.* Fuga patrato delicto inita, præſertim accedente fama, & ſuſpicione evidenti, quæ ex gravi inimicitia v. g. contra occiſum, ortum habeat. Denique in materia furti, indicia ad torturam ſunt, ſi res ablata reperiatur apud reum, neç dicere poſſit, unde habeat: aut ſi commiſſo furto auctor ignoretur, & quiſpiam pauper derepentè fiat opulentus, ex iis videlicet, qui in domo illa familiares eſſe ſolent. *Vide Gomez* ſuprà *n. 13.*

Non eſt tamen ſufficiens indicium, ſi occiſus v. g. emittat ſanguinem ad præſentiam hujus, & non illius, ut tenent communiter DD. cùm ignoretur an Dæmon ſe intermiſceat huic rei, aut ſaltem nos lateat talis indicii cauſa. Quod idem dicendum de probatione illa per aquam, quam nonnulli adhibent ad explorandas maleficas, ſive ſagas. Legatur Leſſius, qui hoc argumentum eruditè, & ſolidè pertractat. *lib. 2. cap. 29. Dub. 17. De Juſtitia, & Jure.*

QUI JURE EXIMANTUR A TONTURA.

Quidam jure prohibentur torqueri, idque vel ob ætatem,
D vel ob debilitatem, aut dignitatem, aut periculum, vel aliam ob cauſam, quam tradunt Juriſconſulti. Itaque torqueri non poſſunt perſonæ illuſtres in dignitate poſiti, Decuriones, Innocentes, Milites, Doctores, Clerici, ſenes decrepiti, minores annis 14. ſervus contra Dominum, vel etiam liber famulus, nec non contra tutorem, aut matrem Domini, prægnans, lactans, & alii ſecundùm jus commune, aut municipale, excipiuntur crimina nonnulla, nempè hæreſis, proditio, aut quodvis aliud læſæ majeſtatis. *Videatur Gomez ſuprà, & Clarus q. 64. ex Leon* Leſſio citatus.

☞ *Vide Locum de Sanguine. Tit. Indicia.*

APOPHTEGMATA.

PERSES negavit tormentis opus eſſe ad explorandam rei veritatem: vino enim id rectius fieri dicebat. Senſit autem vir prudentiſſimus, tantam eſſe vini immodicè ſumpti potentiam, ut proferat ea, quæ crudeliſſimis tormentis ex homine ſobrio elicere non poſſis. *Vide proverbium apud Eraſm. In vino veritas.*

Anonyma, Poppea, quæ prius adultera Neronis, mox repudiata Octavia mariti potens facta, ſubornavit quendam ex Octaviæ Miniſtris, qui ei ſervilem amorem obiiceret. Ancillis Octaviæ ad quæſtiones pertractis, quædam cruciatu victæ, falſis annuerunt, quædam perſtiterunt, dominæ E ſuæ ſanctitatem prædicantes. Ex his una inſtanti Tigillino reſpondit caſtiora eſſe Octaviæ muliebria, quàm os ejus. *Eraſ. 6. Apoph.*

☞ *Vide Pœna, Punitio, ſupplicium, Crudelitas.*

Tornatores.

*TOrnatores ſunt, qui opera tornata faciunt, adhibito ſcilicet Torno, qui eſt inſtrumentum fabrile, quo æs, ebur, & plura alia poliuntur. Unde Virgil. *lib. 2. Georg. Aut torno raſile buxum,* in torno verbum pro polio, vel elaboro accipitur.

☞ *Vide de his Locum opificum Mechanicorum, conſideratorum ſecundùm organum.*

Torneamenta. F

TOrneamenta. *In Loco de Fortitudine. Tit. Fortitudo ludicra in ſuperandis hoſtibus ludicris.* Erant autem Torneamenta genus ludi, quem Trojani invenerant, unde nonnulli eum Trojamen appellant, vide leges eorum, qui ad hunc ludum olim admiſſi, *In Loco de Exercitatione.*

Torques.

TOrques, qui colli, & pectoris ornamentum ſunt, ex auro, gemmis, aliave materia; *Honorarii.*

☞ *Vide Locum de Honore. Tit. Ornamenta honorifica. Torquium artifices. Ex loco de Mechanica.*

Tractare.

RES VARIAS. ☞ *Vide in Loco de Exercitatione.* G

* Traditio.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

DE Traditione hìc loquimur, non ut includit proditoriam, fallacemque alicujus circumventionem, à qua Judas vocatur traditor, & proditor; ὁ παραδιδοὺς, & προδότης, à voce παραδιδόναι, tradere; ſed ut ſignificat doctrinam non conſignatam litteris, ſive non ſcriptam, quamvis generalius etiam uſurpetur pro omni doctrina, ſive ſcripta ſit, ſive non ſcripta, ita *Apoſt. 2. Theſal. 2.* Tenete traditiones, quas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam, & *Corinth. 11.* Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.

Eſt ergo traditio, prout hic uſurpamus eam vocem, doctrina non ſcripta, nempè à primo auctore, ut enim ab aliis ſcribatur, nihil obſtat, quomodo doctrina de Baptiſmo parvulorum eſt Traditio, quia in Evangelio nihil de eo reperitur ſingulariter ſcriptum, quamvis in aliis veterum libris abundè contineatur illius ritus, & ita de aliis.

TRADITIONUM DIVISIO.

Eſt duplex partitio Traditionum: Prior ſumitur penes auctores traditionum; poſterior penes materiam. H

Prior eſt in Traditiones divinas, Apoſtolicas, Eccleſiaſticas. Divinæ dicuntur, quæ acceptæ ſint ab ipſo Chriſto Apoſtolos docente, & nuſquam in divinis litteris inveniuntur: talia ſunt ea, quæ ad materiam, & formam Sacramentorum pertinent: pauca enim de his habemus in divinis litteris, & tamen certum eſt, Sacramentorum eſſentiam non potuiſſe niſi à Chriſto inſtitui. Proptereà enim Apoſtolus *1. Corinth. 11.* loquens de Sacramento Euchariſtiæ, dicebat: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.

Apoſtolicæ Traditiones propriè dicuntur illæ, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ ſunt, non tamen aſſiſtentia Spiritus ſancti & nihilominus non extant ſcriptæ in eorum epiſtolis: quale eſt jejunium Quadrageſimæ, & quatuor temporum, & alia multa, de quibus poſteà. Solent tamen interdum divinæ traditiones etiam dici Apoſtolicæ, & Apoſtolicæ dicuntur divinæ. Divinæ traditiones dicuntur Apoſtolicæ, non quòd ab illis ſint inſtitutæ, ſed quòd ab iis primùm Eccleſiæ traditæ ſint, cùm ipſi ſeorſim eas à Chriſto accepiſſent: & Apoſtolicæ dicuntur divinæ, non quòd eas Deus immediatè inſtituerit, ſed quòd ſine ſpiritu Dei eas Apoſtoli inſtituerint: Quomo-

Quomodo omnes epiſtolæ Apoſtolorum dicuntur divina, &
A Apoſtolica ſcripta, etiamſi quædam in eis ſint præcepta divina, & quædam propriè Apoſtolica, ut patet ex illo *1. Corinth. 7.* Præcipio non ego, ſed Dominus, & poſteà: Dico ego, non Dominus.

Eccleſiaſticæ traditiones propriè dicuntur conſuetudines quædam antiquæ, vel à prælatis, vel à populis inchoatæ, quæ paulatim tacito conſenſu populorum vim legis obtinuerunt.

Altera partitio traditionum eſt penes materiam, in traditiones de fide, & traditiones de moribus; que rurſum aut ſunt perpetuæ, aut temporales; & vel univerſales, vel particulares, vel neceſſariæ, & liberæ.

Traditio de fide eſt, quod B. Maria ſemper fuerit Virgo, quod quatuor ſint tantùm Evangelia, &c.

Traditio ad mores pertinens eſt, quòd ſignum Crucis in fronte pingendum ſit, quòd certis diebus jejunia, aut feſta celebranda, &c.

Traditio perpetua eſt, quæ inſtituitur, ut ſemper ſervetur, uſque ad mundi conſummationem, ut in exemplis poſitis.

Temporalis eſt, quæ inſtituitur ad certum tempus, ut ob-
B ſervatio legalium quarundam cæremoniarum, quæ ſervandæ erant uſque ad plenam Evangelii promulgationem, ut faciliùs Eccleſia ex Judęis, & gentibus coaleſceret. Traditio univerſalis eſt, quæ toti Eccleſiæ ſervanda traditur, qualis eſt Paſchatis, Pentecoſtes, & ſimilium magnorum feſtorum obſervatio, ut docet *B. Auguſtinus epiſt. 118.*

Particularis eſt, quæ traditur uni tantùm, aut pluribus Eccleſiis, qualis erat tempore Auguſtini jejunium Sabbathi, quod Petrus Romanæ Eccleſiæ tradiderat, & ab ea ſola, & quibuſdam aliis ſervabatur: ut docet *Auguſtin. epiſt. 86. ad Caſulanum.*

Traditio neceſſaria eſt, quæ traditur in forma præcepti, ut celebratio Paſchæ die Dominico poſt 14. lunam Martii; libera eſt, quæ traditur in forma conſilii, ut aſperſio aquæ luſtralis, & ſimilia.

TRADITIONUM DIGNITAS, ET VIS.

Traditiones divinæ eandem vim habent, quam divina præcepta, ſive divina ſcripta in Evangeliis, & ſimiliter Apoſtoli-
C cæ traditiones non ſcriptæ eandem vim habent, quam Apoſtolicæ traditiones ſcriptæ, ut in *Concil. Trident. ſeſſ. 4.* aſſeritur, & ratio eſt manifeſta, nam verbum Dei non eſt tale, nec habet ullam auctoritatem, quia ſcriptum eſt in membranis, ſed quia à Deo profectum eſt, vel immediatè, ut ſunt ſermones Domini, vel mediantibus Apoſtolis, ut eſt decretum Apoſtolorum *Act. 15.* Neque hoc negant, aut negare poſſunt hæretici: nam non eſt quæſtio, quanta ſit vis divinæ, & Apoſtolicæ traditionis, ſed an ſit aliqua traditio verè divina, aut Apoſtolica.

Eccleſiaſticæ autem traditiones eandem vim habent, quam decreta, & conſtitutiones Eccleſiæ ſcriptæ, nam etiam in Republica civili eadem vis eſt conſuetudinum adprobatarum, & legum ſcriptarum, ut patet *diſt. 1. canon. conſuetudo, & l. diuturna, ff. de legibus.*

Conformatur hęc Traditionum authoritas teſtimoniis SS. Patrum. Siquidem *S. Baſilius de Spiritu ſancto, cap. 27.* cùm utrumque genus dogmatum, ſcriptum, & non ſcriptum in Eccleſia eſſe oſtenderet, quorum, inquit, utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quiſquam contradicit quiſquis ſa-
D nè, vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint jura Eccleſiaſtica. Nam ſi conſuetudines, quæ ſcripto proditę non ſunt, tanquam haud multum habentes momentis tenemur reiicere, imprudentiæ, & ea damnabimus, quæ in Evangelio neceſſaria ad ſalutem habentur, immò potiùs ipſam fidei Prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Hæc ille.

Confirmiter Baſilio Chryſoſtomus. Cùm enim dixiſſet multa ſine litteris Apoſtolos tradidiſſe, ſubjungit: Eadem verò fide digna ſunt, tam illa quàm iſta. Itaque traditionem quoque Eccleſiæ fide dignam putamus. Traditio eſt, nihil quæras ampliùs. *Homil. 4. in 2. ad Theſſal. 2.* Neque verò de hac re dubium eſſe ampliùs poteſt, & debet, cùm Apoſtolus verbis clariſſimis utrùmque genus dogmatum, ſive per ſermonem vivæ prędicationis, ſive per epiſtolam ſcripto conſignatam, & traditam, jubeat Theſſalonicenſes ſuos tenere, hoc eſt, cuſtodire, & ſervare.

Confutantur hìc Novatores omnium temporum, cavillantium Catholicos, quòd verbo non ſcripto adhæreant, cùm illi ſoli verbo ſcripto omnem fidem tribuant. Eſt namque hoc omnem fidei prædicationem è medio tollere, & ad nudum nomen contrahere; quia hac ratione non prędicandi, docendi, E tractandi, explicandi, & applicandi poteſtatem habebit Eccleſia: ſed ſolùm ſcriptum verbum à quocunque lectum, & inſpectum omnem fidem docebit, neglecto Eccleſiæ docentis, & interpretantis miniſterio, & prædicatione illi à Chriſto Salvatore concredita.

* TRADITIONUM USUS.

IN GENERE.

Apud Gentiles.

Lacedęmones, Athenienſes, Romani, Perſę, Chaldæi, omneſque gentes ad rectam Reipublicæ adminiſtrationem uſi ſunt jure partim ſcripto, partim non ſcripto, id eſt legibus partim ſcriptis, partim traditione acceptis, quas *Plato lib. 6. de legibus* vocat ἀγραφόμενα, quæ parem, immò eandem cum ſcriptis habent dignitatem, & auctoritatem.

Quin omnes profanæ Reſpublicæ magna ex parte legibus non ſcriptis reguntur.

Pericles apud Thucydidem partitur jus Athenarum in ſcriptum, & non ſcriptum. F

Ariſtoteles lib. 3. polit. cap. 11. partim optimis legibus, partim arbitrio optimi viri civitatem regendam eſſe ſtatuit. *Et lib. 5. de moribus cap. 4.* judicem, ſive arbitrum jus animatum vocat, quòd videlicet aliud quoddam prætereà extet jus ſcriptum, veluti mortuum.

Lacedæmoniis Lycurgus nullam legem ſcriptam dare voluit, *teſte Plutarcho*, ſed ſolis traditionibus vivere, quò eſſent in agendo quàm in legendo diligentiores.

Idem placuiſſe Ciceroni ſatis apparet, *libro 1. de legibus.* Et idem de ſapientibus Gallorum ſcribit *Cæſar. lib. 6. de bello Gallico.*

Maxima ſecretorum divinorum cuſtodia eſt, nihil ſcribere, ſed addiſcere, nam quæ ſcribuntur contineri non poſſunt, ut ait Plato ad Dionyſium Syracuſanum: ubi & addit: hac de cauſa, ego nihil de his ſcripſi unquam, neque eſt Platonis opus perſcriptum aliquod, nec erit.

Myſteria etiam ſuorum ſacrorum Ægyptii tantum involutis, & hieroglyphicis ſignis pro litteris exprimebant, ut ait *Orus Apollo de litteris hieroglyph.* Et, ut ait *Ammianus Marcellinus lib. 15. hiſtoriæ,* in veteribus libris lectio per corporum ſigna, G pandit animarum interna.

☞ *Vide Locum Hieroglyphicorum.*

JUDÆOS.

Ab Adam uſque ad Moyſen fuit Eccleſia Dei aliqua in mundo, & colebant homines Deum fide, ſpe, & charitate, & externis ritibus, ut patet ex Geneſi, ubi introducuntur Adam, Abel, Seth, Enoch, Noe, Abraham, Melchiſedech, & alii homines juſti, & ex Auguſtino *lib. 11. de Civit. Dei, & ſequentibus,* ubi deducit civitatem Dei ab initio mundi uſque ad finem: at nulla fuit Scriptura divina ante Moyſen, ut patet, tùm quia omnium conſenſu Moyſes eſt primus ſcriptor ſacer; tùm quia in Geneſi non fit mentio doctrinæ ſcriptæ, ſed ſolùm traditæ, *Gen. 1.* & Scio, inquit Deus, quòd Abraham præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini. Igitur annis bis mille conſervata eſt religio ſola traditione.

Deinde à Moyſe uſque ad Chriſtum per alia duo annorum H millia exſtiterunt quidem Scripturæ, tamen eæ ſolę erant Judęorum, reliquæ autem gentes, in quibus etiã erat apud aliquos vera religio, & fides, ſola traditione non ſcripta utebantur.

Nam quod pręter Judęos multi alii ad Eccleſiam pertinerent, patet & ex Job, & amicis ejus. Item ex Auguſtino, qui hoc conſtanter aſſerit, *l. 2. de pec. orig. cap. 24. & lib. 1. de prædeſt. Sanctorum, cap. 9. & l. 18. de civit. Dei. cap. 47* & in ipſo populo Dei, etſi Scripturę extarent, tamen magis utebantur Judæi traditione quàm Scriptura, ut patet ex illo *Exod. 13.* Narrabis filio tuo in illo die dicens. Hoc eſt, quod fecit Dominus, &c. *Deuter. 32.* Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.

Galatinus lib. 1. contra Judæos cap. 1. tradit, dogmatum genus duplex eſſe apud Judęos: unum dictum שותשבכתו *thorath Scebe cotau*: id eſt, legem, quę in ſcriptis: alteram טרוהשבעלפה *throrath cebengalpe*, id eſt, legem, quæ in ore tradita fuit Moyſi, ut Thalmudici teſtantur in 1. libro qui *beracoth*,

beracoth, id eſt, benedictionum, nominatur, & de qua agitur A in cap.1 libri *piltre abot*. Capitula Patrum.

Cabala erat Judæorum traditio ore tenus facta: nec licitum de ea ſcribere, immò prohibitum, ut legitur in libro eorum *Hagiga*, id eſt, ſolemnitas. Prædicantur quædam de illa tradita à Rab. Salomone Beniohai: & de hac ſuſpicari quædam inter Latinos cœpiſſe fertur Joannes Picus. Dehinc Paulus Iſraelitas initia tradidit: dehinc Auguſtinus Juſtinianus Epiſcopus Nebienſis aliqua in annotationibus in Pſalterium retexuit: latius Capinio quoque tribus libris de arte Caballiſtica egit: Ægidius etiam Veterenienſis, & poſteà Galatinus, ut ipſe ſcribit, *lib.1.contra Judæos c.6.*

Cauſa autem cur uterentur Hebræi magis Traditione, quàm ſcriptura, videtur fuiſſe, quia uſque ad tempora Eſdræ Scripturæ non erant reductæ ad formam librorum, ut facilè, & commodè haberi poſſent: ſed erant diſperſæ in variis annalibus, & chartis, & interdum ex negligentia Sacerdotum longo tempore non inveniebantur, ut patet 4. *Reg.*22. ubi narratur tanquam novum quid, quod in diebus Joſue fuerit inventum unum volumen legis Domini in tẽplo. Eſdras autem poſt captivitatẽ omnia collegit, & ſimul in unum corpus redegit, addens in Deute- B ronomio ultimum caput de vita Moyſis, & quædam alia hinc inde ad hiſtoriæ continuationem. *Vide Theodoretum in præfatione in Pſalmos, Bedam in c.9.lib.1. Eſdræ, & Petrum Antonium Beuter annot.9.de ſacra Scriptura.*

CHRISTIANOS.

Porrò à Chriſti adventu per annos multos fuit Eccleſia ſine Scripturis, ita ut adhuc ſuo tempore ſcribat Irenæus *lib.3.c.4.* fuiſſe Gentes aliquas Chriſtianas, quæ ſolis traditionibus ſine ſcriptura optimè viverent.

Certè ſi Chriſto, & Apoſtolis fuiſſet propoſitum verbum Dei coarctandi, & reſtringendi ad Scripturam, in primis rem tanti momenti Chriſtus præcepiſſet, & Apoſtoli alicubi teſtarentur, ſe ex Domini mandato ſcribere, quemadmodum ex Domini mandato toto orbe docuerunt; ad id nuſquam legimus. Deinde ad prædicandum viva voce non expectarunt Apoſtoli oblatam occaſionem, vel neceſſitatem, ſed ſponte ſua, & ex proprio inſtituto perrexerunt: Ad ſcribendum verò non niſi neceſſitate quadam coacti animum applicuerunt.

C MATTÆUM ſcribit *Euſebius lib.3.hiſtor.cap.24.vel c.8.in alia editione*, ea occaſione ſcripſiſſe, quia cùm prædicaſſet Hebræis, & ad Gentes ire pararet, utile judicavit, ſi iis, quos corpore deſerebat, aliquod memoriale doctrinæ ſuæ, & prædicationis relinqueret.

MARCUM refert *idem Euſebius lib.2.c.15.* nec ſponte ſua, nec à Petro (cujus diſcipulus erat) juſſum, ſed compulſum præcibus Romanorum ſcripſiſſe Evangelium.

LUCAM, teſtatur *idem l.3.hiſt.c.24.* ideò ſolùm ſcripſiſſe, quia viderat multos alios temerè præſumpſiſſe ea litteris mandare, quæ non perfectè noverant, ut nimirum nos abſtraheret ab incertis aliorum narrationibus.

JOANNEM, ſcribit *idem ibidem*, uſque ad extremam ſenectutem ſine ulla Scriptura Evangelium prædicaſſe, addit *Hieronymum in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, tandem eum compulſum fuiſſe ab Aſiæ Epiſcopis, Evangelium ſcribere propter Ebionitarum hæreſim tunc exorientem. Itaque niſi Ebionis hæreſis extitiſſet, Joannis Evangelium fortaſſè non D haberemus, quemadmodum nec alia tria, niſi prædictæ occaſiones oblatæ fuiſſent. Rectè enim ibidem ſcribit Euſebius, ſolùm duos ex Apoſtolis duodecim Evangelium ſcripſiſſe, & eos neceſſitate quadam ad hoc provocatos.

* IN SPECIE.

Apud Judæos.

Tempore Teſtamenti veteris, ſine dubio non minùs fœminæ quàm viri, remedium aliquod habebant, quo à peccato originali purgarentur, & tamen pro maculis inſtituta erat circumciſio ſecundùm multorum opinionem, quid autem eſſet pro fœminis, nuſquam habet ſcriptura.

Eodem tempore non eſt ullo modo credibile, non fuiſſe remedium ullum pro maſculis morientibus ante octavum diem, quo ſolo poterant circumcidi, & tamen nihil extat de hac re in ſcriptura.

Deinde Gentiles multi ſalvari poterant, & ſalvabantur tempore Teſtamenti veteris, verèque ad Eccleſiam pertinebant, ut ſupra oſtendimus, & tamen nihil prorſus de eorum juſtificatione à peccato originali, aliiſque peccatis in Scriptura E habetur.

APUD CHRISTIANOS.

Eſſe apud Chriſtianos veras aliquas traditiones ita ex Scripturis, Patribus, & experientia clarum eſt, ut non niſi, cum ſumma impudentia, & protervia poſſit negari. Chriſtus enim *Joan.16.* dicit: Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. *Joan. ultim.* Sunt autem & alia multa, quæ fecit JESUS, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros. Conſtat igitur, multa Dominum feciſſe, & dixiſſe, quæ non ſunt ſcripta. Nam iſtos libros, qui extant, una manus capere poteſt: Joannes autem dicit totum mundum non poſſe capere libros, qui ſcribendi eſſent. Et prætereà illa, quæ promittebat Dominus ſe dicturum *Joan.16.* dixit haud dubiè poſt reſurrectionem ſuam, ut Lucas teſtatur *Actor.1.* per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. At de geſtis, & verbis Domini poſt reſurrectionem pauciſſima ſcripſerunt Evangeliſtæ. Non autem eſt ullo modo credibile, Apoſtolos, qui illa viderant, & audierant, non tradidiſſe Eccleſiis, nec enim invidi, aut oblivioſi erant, ut nollent, aut non poſ- F ſent dicere.

Quin extant dicta Chriſti nonnulla diverſa ab iis, quæ ſunt in Evangeliis. Tale eſt: Ecce homo, & opus coram facie ejus. *Ignat. epiſt. ad Smyrnenſes. Nazianzenus orat. de benè ordin. diſp.* In quibus te reperiam, vel qualem te invenero in iis, aut talem te Judicabo. *Juſtin. in Thrypho.* Et iterum: Oportet venire bona, beatus autem, per quem veniunt ſimiliter neceſſe eſt venire mala, væ autem, per quem veniunt. *Clem.7.Recognit.* Rurſum: Eſtote boni trapezitæ, ſeu probati nummularii. *Clemens 2. Conſtit. cap. 40. Hieronymus epiſt.152. Damaſcenus libro 4.cap.18. Caſſian. collat.1.cap. Chryſoſtomus orat. cur Acta Apoſtolorum non legantur in Pentecoſte.*

Alia citant *Hieronymus Dialog.3.contra Pelagianum. Clemens Alexandrinus 4. Stromat. Origenes multis locis, aliique.* Sed ex Evangelio ſecundùm Nazaræos, & aliis apocryphis, hoc eſt, non ſacris, & canonicis libris. Cùm tamen à tam multis, & probatis Patribus tam multa, ut à Chriſto dicta agnoſcantur, quæ ſcripturis ſanctis minimè comprehenduntur; & præſertim cùm de iſta, quàm Paulus recitavit, ſententia non G poſſit ambigi, certum eſſe debet, præter verbum ſcriptum, etiam non ſcripti ſeu traditi, venerabilem, ac divinam in Eccleſia auctoritatem eſſe.

Confirmat hoc ipſo ex loco Innocentius III. *c. cum Martha, de celebrat. Miſſar.* quædam Canonis Miſſæ verba, licèt ab Evangeliſtis dicta non fuerint, à Chriſto Apoſtolos, & ab his eorum ſucceſsores accepiſſe.

Item Apoſtolus Paulus *Act.20 verſ.35.* recitat hanc Chriſti ſententiam, qua dixit: Beatius eſt dare, quàm accipere, quæ tamen nuſquam legitur apud Evangeliſtas. Immò *Auguſtinus in Pſalm.77.* docet non raró quidpiam dictum, factumque Scripturam tradere, quòd in ea tamen re non inveniatur, quam commemorat.

Illuſtrat Canonem hunc *Martinus Cantipratenſis S. Hypotii poſ.c.1.* aliquot exemplis, quibus ſatis ſint ex novo Teſtamento, quando narratur, Joannes docuiſſe diſcipulos orare. *Luc.11.1.* Petro traditum Evangelium Circumciſionis, Paulo præputii. *Galat.2.7.* Chriſtum apparuiſſe Jacobo, & pluſquam quingentis fratribus. *1.Cor.15.6.7.* H

Rurſus Apoſtolus 1. *Corinth.* 11. duas quæſtiones tractat, unam de modo orandi in Eccleſia, alteram de modo ſumendæ Euchariſtiæ. Primam exorditur à traditione: Laudo, inquit, vos, quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Iſta enim præcepta, de modo orandi, ſumendæ Euchariſtiæ, nuſquam ſcripta inveniuntur. Et apertè notant hoc loco *Chryſoſtomus, & Theophylactus*, Apoſtolum loqui de præceptis non ſcriptis; nec non *Epiphanius hæreſ.61.* Alteram quæſtionem exorditur etiam à traditione: Ego enim accepi, inquit, à Domino, quòd tradidi vobis, & concludit: Cætera, cùm venero, diſponam. Quid autem diſpoſuerit, nunquam ſcriptum invenitur.

Idem Paulus 2. *Theſſal.2.* ait. Itaque fratres, tenete traditiones, quas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram. In quem locum *Baſilius lib. de Spiritu ſancto, cap.29.* Apoſtolicum, inquit, arbitror eſſe, etiam in non ſcriptis

traditio

traditionibus perſeverare. Laudo, inquit, vos, quòd om- A nia mea meminiſtis, & quemadmodum tradidi vobis, traditione continetis. Et, Tenete traditiones quas accepiſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam.

Chryſoſtomus in hunc locum: Hinc patet, inquit, quod non omnia per epiſtolas tradiderint, ſed multa etiam ſine literis. Eadem verò fide digna ſunt, tam illa quàm iſta.

Iiſdem verò verbis utuntur *Oecumenius, & Theophylactus.*

Quibus accedit *Damaſcenus lib.4.de fide, c.17.*

Quod plurima, inquit, Apoſtoli tradiderint ſine ſcripto, ſcribit Paulus. Ergo, fratres, ſtate, & tenete traditiones, quas edocti eſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam.

Eodem modo exponit VIII. Synodus generalis, *Act. ult. can.1.*

S. FABIANUS Papa, & Martyr *in epiſt.2.ad Epiſcopos Orientis*, poſteaquam docuerat ſingulis annis ſacrum Chriſma renovandum eſſe, ita ſubjunxit: Iſta à ſanctis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus accepimus, vobiſque tenenda mandamus. Hæc ille. Et certè de Chriſmate renovando nihil in ſacris litteris legimus.

S. INNOCENTIUS I. *epiſt.1.ad Decentium c.3.* docet, Confirma- B tionem etiam parvulis conferendam, & à ſolo Epiſcopo, & ſub certa forma verborum, atque adeò non ſcriptas ejuſmodi Apoſtolicas traditiones eſſe teſtatur.

Sanctus LEO I. *ſerm. de Quadrageſima*: Apoſtolica, inquit, inſtitutio quadraginta dierum jejuniis impleatur.

Et *ſermone 2. de jejuno Pentecoſtes*: Dubitandum non eſt, dilectiſſimi, omnem obſervantiam Chriſtianam eruditionis eſſe divinæ, & quidquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt devotionis receptum, de traditione Apoſtolica, & de S. Spiritus prodire doctrina. *vide eundem ſer.8.& 9. de jejunio 7.Menſis.*

Jam verò Concilium antiquiſſimum, & celeberrimum Nicænum I. ex doctrina non ſcripta damnavit hæreſim Arii, ut diſertè teſtatur *Theodoretus lib.1.hiſt.c.8.*

Etſi enim quædam Scripturæ poterant adferri contra Arium, tamen quia Arius etiam proferebat Scripturas; ex doctrina, non ſcripta, ſed tradita per manus Patrum ſibi in Eccleſia ſuccedentium, eum damnaverunt.

Nicænum II. *Act.6. tom.4.* Quod autem, inquit, cum multis aliis, quæ in Eccleſia obſervantur ſine Scriptura, nobis C imaginum veneratio tradita ſit, ab Apoſtolorum temporibus latè per hiſtorias creditum eſt. *Et act.7.in fine*, ſic habet: Si quis traditionem Eccleſiæ, ſive ſcripto ſive conſuetudine valentem non curaverit, anathema ſit.

Idem reperitur in Concilio VIII. generali, *act.8. Et poſt act. ult. can.1.* profitentur Patres, ſe ſervaturos omnes traditiones non ſolùm Apoſtolicas, ſed etiam Eccleſiaſticas. Ex quo mirum videri non debet Lutheranis, ſi tale aliquid etiam docuit Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 4. nihil enim novi ſtatuit.

EGESIPPUS *apud Euſeb. lib.4. hiſt.c.8.* Apoſtolicas traditiones quinque libris comprehendit, qui etſi modo non extent tamen ſatis indicat hoc teſtimonium, Apoſtolos non omnia ſcripſiſſe, quæ docuerant.

POLYCARPUS *apud Euſeb. lib.5.c.20.* referebat verba, quæ dicta à Domino ab Apoſtolis ipſe audierat, & de virtutibus ejus, ac doctrina.

IRENÆUS autem, ut ibidem habetur, quæ Polycarpus tradebat, deſcribebat non in charta, ſed in corde ſuo. D Hìc certum eſt agi de traditionibus non ſcriptis. Si enim de ſcriptis ageretur, nihil ſingulare diceretur de Polycarpo, vel Irenæo, nam etiam ego poſſum referre dicta à Domino, quæ in Apoſtolis legi, nec eſt opus, ut ea deſcribam in charta.

Juſtinus in fine 2. Apologiæ pro Chriſtianis, poſteaquam expoſuit multa de Chriſtianis, & inter alia quædam non ſcripta in divinis litteris, ut quod conveniant ſingulis Dominicis, & poſt lectionem Scripturarum, & concionum, offeratur, & conſecretur panis, & vinum aqua temperatum, & quod non liceat ullo modo participare de Euchariſtia niſi poſt Baptiſmum; & alia: ſubjungit ſtatim, Poſtridie Saturni, qui dies Solis eſt, cùm Apoſtolis diſcipuliſque ſuis apparuiſſet, hæc illis tradidit, quæ vobis quoque conſideranda permittimus, &c.

Clemens Alexandrinus in lib. de Paſchate, apud Euſebium lib.6.hiſt.cap.11. dicit extorqueri ſibi à fratribus, ut ea, quæ à Presbyteris Apoſtolorum ſucceſſoribus voce ſibi ſola tradita eſſent, deſcriberet in libris, ac poſteris traderet, neſcio quid clarius pro traditionibus dici poſſet.

Origenes in c.6.epiſt.ad Romanos: Eccleſias, inquit, ab Apoſtolis traditionem accepit, etiam parvulis Baptiſmum dare. E *Et hom.5.in lib.Numer.* In Eccleſiaſticis obſervationibus, inquit, ſunt nonnulla, quæ cùm omnibus facere neceſſe eſt, eorum tamen ratio non omnibus patet. Et enumerat ſtatim multas traditiones non ſcriptas.

S. Hieronymus in epiſtola ad Marcellam de erroribus Montani: Nos, inquit, unam Quadrageſimam ex Apoſtolica traditione tempore nobis congruo jejunamus.

S. Auguſtinus epiſt. 118. Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri: ſicut quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in cœlum, & Adventus de cœlo Spiritus ſancti anniverſaria ſolemnitate celebratur.

Et lib.4. de Baptiſmo contra Donatiſtas caſ.24. Quod univerſa, inquit, tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.

S. Bernardus ſerm.3.de Quadrageſima: Hactenus, inquit, uſque ad nonam jejunavimus ſoli; nunc (in Quadrageſima) F uſque ad veſperam nobiſcum jejunabant pariter univerſi, Reges & Principes, nobiles & ignobiles, clerus & populus, ſimul in unum dives, & pauper.

Ante Bernardum *Greg. hom.16. in Evangelia Quadrageſimæ* meminit, rationem reddens, cur quadraginta dies jejunemus. Et ante Gregorium *Leo in ſermonibus* 12. *de Quadrageſima* quem ante citavimus.

Certè Canones paſſim docent, conſuetudinem Eccleſiæ generalem, & ſpeciales Eccleſiarum, quæ non derogant juri divino, aut non repugnant rationi, eſſe ſervandas, & ſequendas. Id ipſum alibi eodem jure Pontificio pluribus in locis tractatur, maximè *titulis de conſuetudine cap.1.de conſtitutionibus in ſex. lib. de quibus de legib. in l.*

Nicephorus lib.12. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 34. Conſuetudines, inquit, Eccleſiarum ſunt ſervandæ ab incolis: differentiæ namque morum, Eccleſiarum, & conſuetudinum invaluerunt reverentia eorum, qui illis ab initio præfuerunt, & qui illis deinceps ſucceſſerunt. Nam hi tanquam leges acceptas per manus poſteris tradiderunt, non ſatis pium neque ferendum arbitrati, ſi traditiones in qui- G bus educati eſſent, non honorificè colerent, ſed contemptui reiicerent.

Refertur ex D. Auguſtino *epiſt.86* quòd ipſe adhuc Catechumenus conſuluit D Ambroſium, utrùm ſecundùm morem ſuæ civitatis, mater ejus jejunare ſabbatho, aut Mediolanenſi more prandere deberet, at ille; Quid poſſum, inquit, dicere hìc ampliùs, quàm facio? Quando hic ſum, non jejuno Sabbatho: quando Romæ ſum, jejuno: ad quamcunque Eccleſiam veneritis, ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere, cuſtodita ſcilicet eorum inter quas vivimus inoffenſa ſocietate, & cavendo, ne tempeſtate contentionis ſerenitas charitatis obnubiletur. Adjungitur teſtimonium ejuſdem ex *ep.ad Januarium* 118.*relatum in cap. illa* 12. *diſt.*

Ratio autem ab eodem refertur *lib.3. confeſſ.cap.8.relata à Gratiano in c. quæ contra* 8. *diſt.* Quæ contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate vitanda ſunt, ut pactum inter ſe civitatis, aut gentis conſuetudine, vel lege firmatum nulla civis aut peregrini libidine violetur.

Denique nulla eſt Scriptura divina, quæ doceat, cujus impulſu, quando, & ubi dies Sabbathi Judæorum immutatus ſit H in Dominicam, neque ex eadem doceri poteſt, quando ceſſaverit Polygamia plurium uxorum inter Judæos ante Chriſtum.

Item eandem non eſſe ultra licitam Chriſtianis, nulla Scriptura expreſſis verbis docet.

Nonne in Concil. I. Hieroſolymitano, *Act.15.* decretum erat, abſtinendum à ſanguine, & ſuffocato; at non conſtat de illius decreti moderatione, & tamen certum eſt, non ampliùs obtinere apud Chriſtianos.

Symbolum inſuper, quod Apoſtolorum dicimus, ex traditione habemus ab Apoſtolis ad invicem deſcendentibus, tanquam teſſeram aliquam concinnatum.

Credendum eſt, B. Virginem ſemper fuiſſe virginem contra errorem Heluidii, ut ſemper tota Eccleſia credidit, & tamen nullum de hac re eſt in Scriptura teſtimonium.

Credendum quoque in novo teſtamento Paſcha eſſe

celebran-